



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniae Agrippinae, 1705**

**VD18 15298639**

23. Mortificatio phantasïæ.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

## PASSUS XXIII.

## Mortificatio Phantasiæ.

## TEXTUS.

*Cor tuum phantasias patitur;  
sed ne dederis in illis cor  
tuum. Eccli. c. 34. 6.*

*Cognitio.*

**P**Hantasia, seu potentia imaginandi, appetitum sensitivum dirigit; estque instar aulae cujusdam regiae, in qua vel picturae elegantes & honestae, vel turpes ac foedae suspendi aut affigi queunt; illae ad ornatum; hae vero ad dehonestamentum.

*Consideratio.*

Ut phantasiae tuae perquam diligenter invigiles, eamque ab imaginibus, mundanis, ridiculis & infornibus, nec non ab indecentibus ac monstrosis figuris & iconibus praeserves, & sanctis potius atque utilibus exornes: Moveat te I. Ejus vis & efficacia in alias potentias; ipsa enim est prima perturbationum & peccatorum causa: quoties enim phantasia foedis imaginibus

bus occupatur, & tanquam præsentibus oblectatur, mox intellectum ad advertendum, iisque immorandum vehementer sollicitat; quo facto, tandem & ipsa voluntas ad consensum pertrahitur. II. Ejus venenata malitia: hæc enim est omnium impurarum, vindicatarum, ambitiosarum, & avararum cogitationum fons & origo. III. Ejus fallacia: illa enim instar vitri concavi, res augendas minuit; & instar convexi, minuendas auget, atque ex musca elephantem, aut ex elephante muscam efficit; totumque animæ regnum perturbat: nunc velut phantasma terrens; nunc velut somnium exhilarans aut contristans, & mentem contrahens aut dilatans. O quot inde, tentationum, perturbationum, & periculorum fluctus exsurgunt!

#### *Petitio.*

Tribue mihi, Domine, phantasiam ita probè custodire; ut imaginationes noxias illico proscribam, ne primò intellectum, deinde voluntatem in malum pertrahant, & animæ meæ regnum perturbent.

#### *Aspirationes.*

I. Quasi qui apprehendit umbram, & persequitur ventum, sic & qui attendit ad visa mendacia. Eccli. 34. 2.

II. Reseca in me, Factor meū, mentis hebetudinem, cordis cecitatem, & inanium phantasmatum turbam. S. Aug. med c. 1.

III. Libera me, Domine, ab omnibus phantasiis, ad peccatum pertrahentibus.

## PASSUS XXIV.

De Mortificatione Appetitūs  
& Passionum ejus.

### TEXTUS.

*Post concupiscentias tuas non eas; si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis. Eccli. c. 18. 30.*

### Cognitio.

**P**ASSIO; Græcè πάθος, Latine perturbatio, est motus sensibilis, seu sensitivus, appetitivæ potentiaë seu virtutis, ob imaginationem boni vel mali proveniens. D. Thom. 1. 2. q. 22. a. 3. Appetitus autem duplex est, concupiscibilis & irascibilis: in quibus undecim resident passionēs. In appetitu